fieri huc me contuli. Terreor, terreor etiam, et aspectu
ipsius Principis, (quem coram videre mihi videor;) et tamen
minus vestro, Viri Summi, conspectu.

Verum enimvero, ita comparatum esse cum ingeniis humanis
novimus: ut, quamvis alias acria sint et alacria, fir-
ma sint ac valida, si ad magni tamen Herois alicujus
laudationem accedant, insolita quadam formidine per-
cellantur, quo minus digne quicquam praedicare possint;
quod summae sit, eorum quidem communem ceterorum
hominum conditionem ac sortem supergressae, Majestatis.
Quo propius enim ad Deum assurgunt Principes, eo plus
venerationis ac terroris humanis mentibus injiciunt.
Et quidni injicerent tale quid? Ecce enim non flamma
heic aliqua Servii Tullii; ~~non~~ Juli; ~~non~~ Marcii; non
Maximini; nec alius cujuspiam est Regis, quam Majesta-
tis indicem, circa capita potissimum eluxisse Anna-
les testantur; Sed summa, summa, quae divinitus Principes solent,
potestas, verae Majestatis Testis est; qua, dum undique circumfun-
ditur, illi devotissimus quasi cultus provocatur. Attamen
aliquid timoris mei levamentum inde mihi apparet, unde
modo nascebatur. Nam, si hanc ipsam Divinitatis com-
parationem paulo accuratius mecum perpendo, ex eadem
[illegible] divinae indolis Principibus adesse puto. Proin-
de, quemadmodum universae hujus Machinae Conditor,
rerumque omnium Conservator, immo et coeli terraeque Rector
Deus, etiam tenui devotae mentis victima declaratum
cultum ratum habet; quam e more saltem litare, ut
hecatomben non possit; Ita quoque magni Principes sub-
jectae devotionis quamlibet, modo purus sit ac candidus